Capitulum ecclesie sancti Martini de Scepus omnibus Christi fidelibus quibus presentes ostenduntur salutem in salutis largitore. Cum memorie novitatis oblivio
et acta temporalia vacillant faciliter nisi litterarum testimonio fulciantur, proinde ad universorum notitiam tenore presentium volumus pervenire quod constitutis
coram nobis viris religiosis fratre Martino priore et fratre Johanne de Lapide Refugii ordinis Karthusiensis pro se et pro toto conventu suo ex parte una
et comite Urbano filio Myke et Paulo, Urbano et Jordano filiis eiusdem Urbani pro se et pro filiis suis ex altera, idem Urbanus comes quandam
particulam terre terre predictorum fratrum contigue adiacentem et ab eodem aliquamdiu titulo emptionis possessam pro decem marcis et dimidia
ab ipso priore et conventu plene habitis et receptis de consensu et voluntate predictorum filiorum suorum nullo etiam contradictore existente vendidisse
se personaliter coram nobis est confessus ipsi priori et conventui perpetuo quiete pacifice et irrevocabiliter possidendam pariter et habendam. Preterea
litteras quas super ipsa hereditate habuerat per spolium Gerlaci de Kulp quondam castellani de Scepus se fassus est perdidisse. Quare si quis
easdem in posterum in dampnum predictorum fratrum uti niteretur, ex nunc de consensu suo presentibus ipsas irritas fore decrevimus et inanes.
Situs autem terre predicte talis est, quod versus orientem adiacet terre comitis Nycolai filii Stoyan dicte Thomasi, et ibi est meta terrea,
a parte vero meridionali attendit terra Myke patris Urbani, et abinde protenditur versus occidentem ad secundam terream metam, et ab illa
iterum versus occidentem ad viam que distinguit predictam terram a terra populorum de Lecton versus occidentem. A parte vero meridionali per
totum iacet terra predicti Myke patris Urbani. Assumpsit etiam idem Urbanus quod si nepotes sui filii quondam Stephani filii sui eosdem
fratres ratione predicte terre attemptarent, extunc ipse tenebitur eos liberare propriis laboribus et expensis. In cuius rei memoriam firmi-
tatemque perpetuam presentes concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum in die beatorum martyrum Tyburcii et Valeriani. Anno domini M°. CCC°. XVIII.